UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

Luxemburgi, 1740

XLV. Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium, quo statuitur, ut in Domibus Religiosis Provinciæ Sancti Gregorii in Insulis Philippinis Ordinis Fratrum Monorum Sancti Francisci de ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-74733

Visual Library

occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, ut de cætero unus Aſſiſtens Generalis ex Germania, ab una ex Germaniæ juxta ordinem, quo prædictæ Provinciæ in Conſtitutionibus Urbanis deſcriptæ reperiuntur: ſimiliter alter ex Galliæ: & tertius ex Poloniæ reſpective Provinciis, eligantur, ita quod quælibet Provincia per turnum de ſexennio in ſexennium tres Patres conſtitutos in gradu Definitorum perpetuorum, per exactum lecturarum curſum acquiſito, nominare debeat, ex quibus prædictus & pro tempore exiſtens Miniſter Generalis, quem magis idoneum judicaverit, eligere teneatur.

Qui ſinguli Definitorum Gen. Privilegiis perfruantur.

§. 3. Quodque iſti novi Aſſiſtentes ſic electi omnibus privilegiis & prærogativis Definitorum Generalium fruantur & gaudeant, ac omnes alios, qui non ſint Definitores Generales præcedere debeant, ſervata inter ipſos juxta ordinem propriæ antianitatis præcedentia; reſpectu vero duorum Ordinariorum Aſſiſtentium, Socii ſcilicet, & Secretarii dicti Ordinis, una cum omnibus prærogativis & juribus, quæ ſive ex Conſtitutionibus, ſive ex conſuetudine proveniunt, ſemper & omnino eiſdem reſervata cenſeantur.

P. vero Generalem comitari debeant, quoties ad aliquam ex dictis Provinciis pergat eam viſitaturus.

§. 4. Quodque inſuper idem, & pro tempore exiſtens Miniſter Generalis ad viſitationem alicujus ex prædictis Provinciis ultra montes exiſten. profecturus, præter duos ordinarios Aſſiſtentes Socium & Secretarium, etiam Aſſiſtentem Nationalem aſſumere debeat.

De alimentis illis præſtandis, ac Miſſarum oneribus per eoſdem adimplendis.

§. 5. Et denique, quod prædictis tribus Aſſiſtentibus, eorumque Laicis ſeu Converſis, dum Romæ morantur, Conventus SS. Duodecim Apoſtolorum de Urbe alimenta & veſtiarium ſuppeditare teneatur, perinde acſi eſſent Patres Domus, ita tamen, ut adminiſtrationi prædicti Conventus, neque aliis rebus & negotiis, præterquam illis, quæ ad proprias reſpective Provincias, quorum Aſſiſtentes erunt, pertinent, ſe immiſcere nequeant; iidemque tres Aſſiſtentes Miſſas pro adimplendis oneribus ipſius Conventus applicare: & ſingulæ Nationes ſeu Provinciæ cuilibet eorum reſpective Aſſiſtenti, quidquid pro illorum honeſtiori & magis commoda ſubſtentatione congruum judicaverint, reſiduos & reliquos ſumptus contribuere debeant.

De habitatione ipſis aſſignanda.

§. 6. Quia tamen juxta quaſdam literas fe. re. Clementis PP. X. Prædeceſſoris Noſtri deſuper in ſimili forma Brevis die 7. Martii 1674. expeditas, quarum totum tenorem pro inſerto & expreſſo haberi volumus, numerus denarius Patrum in memorato Conventu dumtaxat præfixus reperitur; ideo ne augmento prædictorum trium Aſſiſtentium habitatio anguſta & incommoda aliis reddatur, numerum denarium Patrum hujuſmodi ad ſeptem, ita quod ſecuta vacatione primorum trium locorum, ſervato inter ipſos Aſſiſtentes hoc ordine, ſcilicet primum locum, quem vacare contigerit, Aſſiſtens Germaniæ, ſecundum Aſſiſtens Galliæ, & tertium Aſſiſtens Poloniæ obtineant; qui vero actu in ſupradicto Conventu Patres ſupranumerarii pro primo loco vacaturo reperiuntur, tunc locum habere debeant, poſtquam prædicti tres Aſſiſtentes admiſſi fuerint, auctoritate & tenore prædictis reducimus, ac eiſdem nunc & pro tempore exiſtentibus Miniſtro Generali, & Aſſiſtentibus Ordinariis Generalibus ſuper quacumque difficultate, quæ in horum omnium executione exoriri poſſet, deliberandi facultatem harum ſerie concedimus.

Clauſulæ.

§. 7. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obſtantium derogatio.

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac dicti Clementis Prædeceſſoris ſuper numero denario Fratrum ſupradicti Conventus, ac Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Provinciarum & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 21. Julii 1731. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

XLIV.

Conceduntur conſueta Privilegia nonnullis Sanctiſſimi D. N. Familiaribus.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 25. Julii 1731. Pontif. II.

Venerabilibus Fratribus Lazaro Pallavicino Thebarum, Cubiculi Noſtri Præfecto: Antonio Xaverio de Gentilibus Petren. Archiepiſcopis, Datario: ac Thomæ Cervioni Epiſcopo Porphyrien., olim Archiepiſcopo Lucan., Sacrarii Noſtri Præfecto: & dilecto filio Paulo Antonio de Freſcobaldi Florentin., Cubiculario Secreto: Familiaribus continuis commenſalibus Noſtris, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Circumſpecta Romani Pontificis gratiarum diſpenſatoris providentia &c.

Cætera legi poſſunt pag. 90. in Conſtitutione num. XV. huic omnino ſimili.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 25. Julii 1731. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

XLV.

Confirmatur Decretum Congregationis Epiſcoporum & Regularium, quo ſtatuitur, ut in Domibus Religioſis Provinciæ S. Gregorii in Inſulis Philippinis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia Diſcalceatorum ſervetur Clauſura &c.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 24. Auguſti 1731. Pontif. II.

Ad futuram rei memoriam.

Expoſitio facti.

Nuper pro parte dilecti filii Joſephi a Santanella Congregationis Miſſionis, & Procuratoris Provinciæ Sancti Gregorii in Inſulis Philippinis, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Diſcalceatorum nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium, nomine dilecti etiam filii moderni Miniſtri Provincialis

dictæ Provinciæ, expoſito, quod eadem Provincia, licet pluſquam ſexaginta religioſis Domibus conſtet, ſacraſque Miſſiones in Sinarum Regnis ſedulo conſervet, trecentorum tamen Fratrum Presbyterorum numerum non excedebat, nec omnino excedere valebat; cum illius conſervatio unice penderet a Fratribus dicti Ordinis, qui zelo Dei & lucri animarum ducti ex Hiſpania de Superiorum ſuorum licentia, ac Catholicorum Regum ſumptibus, in partes illas remotiſſimas trajiciunt; indeque fiebat, quod tametſi Domus religioſæ prædictæ haberent amplas Eccleſias, & curam animarum, necnon converſionis Infidelium, qui in iis regionibus, præſertim montanis & locis ſylveſtribus, adhuc ſuperſunt, & capaces forent ſuſtentandi integram Fratrum familiam; nihilominus ob deficientiam Religioſorum nonniſi quatuor aut quinque, imo quandoque tres, duo, aut etiam unus dumtaxat dictorum Fratrum, quoties nimirum Miſſionarii Hiſpani adventum ſuum diutius remorantur, vel in mari pereunt, uti non ſemel accidit, in unaquaque ex domibus Religioſis hujuſmodi reſidebant, exceptis dumtaxat domibus Mavilenſi, ubi integra, & de Dilao, ubi media familia haberi ſolent; Fratres vero Provinciæ prædictæ jam inde ab illius inſtitutione ac primordio ſemper voluerant ac procuraverant, ut in omnibus prædictis Domibus regularis obſervantia, & alia vitam regularem concernentia, quantum pro numero Fratrum in illis degentium, aliiſque rerum circumſtantiis fieri poſſit, cuſtodirentur & retinerentur, non ſecus ac ſi eſſent Conventus formales: Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod cum aliquibus in dubium revocaretur, an prædicta regularis Clauſura in iiſdem Domibus obſervanda foret: ipſæque Domus privilegiis Conventuum gaudere deberent, idem Joſephus pro majori bono dictæ Provinciæ, ac meliori inibi religioſæ diſciplinæ conſervatione, ſingulas Domos prædictas, quamvis nonniſi ſupra expreſſus Fratrum in eis numerus habeatur, privilegiis Conventuum Ordinis prædicti gaudere, & Clauſura regulari hujuſmodi, cæteriſque oneribus, quæ ſufferre poſſunt, ſubjacere, concedi ac decerni ſummopere deſiderabat, emanavit a memorata Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet -- Sacra Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, ad quam Sanctiſſimus Dominus Noſter Papa ſupplices preces remiſit, attenta relatione Procuratoris Generalis, referente Eminentiſſimo Domino Cardinali Belluga Ponente, ſtatuit & decrevit, in Domibus religioſis Patrum Minorum Diſcalceatorum Sancti Petri de Alcantara Provinciæ Philippinarum S. Gregorii, ſervandam eſſe Clauſuram, utque gaudeant Privilegiis Conventuum ſine præjudicio tamen jurium Epiſcoporum, Parochorum, & aliorum Regularium, atque Conſtitutionum Apoſtolicarum, & particularium Diſcalceatorum: & quoad acceſſum Religioſorum præfatarum Domorum ad Capitula Provincialia nihil innovetur, ſed ſolitus & antiquus illius Provinciæ modus ſervetur, ſub pœna nullitatis actorum ac demum in primodictis Inſulis Philippinis erigere non poſſint Patres Excalceati novas Provincias, niſi cum conſenſu Capituli Generalis. Romæ 20. Julii 1731. Card. Barberinus. A. Archiepiſcopus Petren.

Dubium Sac. Congr. propoſitum. — *Decretum.* — *Confirmatur.*

§. 1. Cum autem, ſicut d. Joſephus Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe, Decretum hujuſmodi quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret; Nos eumdem Joſephum ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ſupradictæ Congregationis Cardinalium.

Clauſulæ.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Provinciæ & Ordinis prædictorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 24. Auguſti 1731. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

Mandatum quoddam Epiſcopi Montis-Peſſulan. cui titulus -- *Ordonnance de Monſeigneur de Montpellier contre la deliberation de ſon Chapitre &c.* -- irritatur, damnatur: addita prohibitione, quominus legi ſeu retineri poſſit. XLVI.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 27. Auguſti 1731. Pontif. II.

Ad perpetuam rei memoriam.

Epiſc. Montis-Peſſulan. animus ergà Sedem Apoſtolicam.

QUamvis jamdiu in animæ noſtræ amaritudine intellexerimus, Carolum Joachimum Epiſcopum Montis-Peſſulan., animo, ſanæ doctrinæ, ac eccleſiaſticæ unitati infenſiſſimo, manifeſte refragari Conſtitutioni re. me. Clementis PP. XI. Prædeceſſoris Noſtri, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* Anno Incarnationis Dominicæ 1713. ſexto Idus Septembris promulgatæ, imò poſthabitis, planeque contemptis auctoritate & judicio Apoſtolicis tam ejuſdem Clementis Prædeceſſoris, quam illius Succeſſorum fe. re. Innocentii XIII., ac Benedicti etiam XIII. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum pariter Noſtrorum, qui plura ipſius Caroli Joachimi Epiſcopi ſcripta, quibus eamdem Conſtitutionem Apoſtolicam multifarias inceſſere ac impetere nitebatur, condigne perſtrinxere cenſura, novis identidem actis, ac ſcriptis in publicum ſparſis, pertinacis ſuæ inobedientiæ & erroris, in quo miſere verſatur, luculenta nimis dediſſe teſtimonia: quæ quidem omnia & ſingula nobiſcum reputantes graviter in corde Noſtro improbavimus; Diſtulimus tamen adverſus ea pro paſtoralis officii Noſtri